

Y b  
916





H. 115, 17<sup>o</sup> 18

DISSERTATIUNCULA

DE

PRAECEPTORIBVS

RUTHENEI PUBLICIS,

ET EJUS QUIDEM

PARS PRIOR

DE

RECTORIBUS ET CONRE-

CTORIBUS.

QUA

PLURIMUM VENERABILE

DNN. INSPE-

CTORUM COLLEGIUM,

OMNESQUE ALIOS OMNIUM

ORDINUM VIROS ERUDITOS

M. JO. FRIDERICUS Köber / ILLU-

STRIS RUTHENEI RECTOR,

AD

BENEVOLE AUSCULTANDAM

CASP. FRANCKII GERANI

VALEDICTORIAM,

OBSERVANTIA, QUAE PAREST, ET

HUMANITATE

INVITAT.

G E R Æ

Typis GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

Yb  
916

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

BIBLIOTHECA  
POMERANICA

Christianus Fridericus

1677





Enè de publicâ re meritorû memoria sancta semper  
habita fuit, & custodita diligenter apud gentes ple-  
rasq; omnes. Nec hodiè forsan popul9 ull9 tam im-  
manitate barbarus, tam remotus ab humanitate,  
est, quin bene de se promeritos colat, veneretur,  
& laudibus vel super astra extollat. Certè olim lau-  
des optimè meritorum canebant; coronas iis decernebant; statuas  
ponebant & aras; quin & eorum posteris communem nonnulli da-  
bant victum. Nimirum, ut rectè Justinianus, Imperator justissi-  
mus: *qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere  
intelliguntur.* Inter eos autem, qui egregium publicum egregiè pro-  
motum eunt, suò quodam jure quis non referat Scholarum Docto-  
res? Neque enim (verba sunt maximi Oratoris) *munus reipublica af-  
ferre majus meliusve quis potest, quàm si docet atque erudit juventutem.*  
Sunt isti benè vivendi duces, à quibus non quidem, quod vivant,  
sed, quòd bene vivant, Discipuli habent. Id quod præclarè olim,  
testatus est Philippus Macedo epistolâ eleganti & perhonorificâ, ad  
Aristotelem perscriptâ. Zenoni defuncto, tanquam honestissimo ac  
de juventute, & universâ republica optimè merito viro, auream co-  
ronam, monumentum in Ceramico, æneamque statuam publicò  
Atheniensium decretò, consecrata fuisse ac dedicata, Laërtius non  
futilis autor est. Et Epictetus Philosophus, qui M. Antonini Impera-  
toris vixit tempore, tantam vitæ ac doctrinæ apud omnes consecutus  
fuit admirationem, ut memoriæ proditum sit à Luciano Syro, lu-  
cernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, tantùm ob aucto-  
ritatem & memoriam Viri, de studiis non malè meriti, venditam fuis-  
se: Quocirca nemo nobis vertet vitio, si, qui unquam in Illustri hoc  
Rutheneo mun9 docendi publicum subierunt, eorum non ingratis  
cordatioribus memoriam brevi hâc scriptione restaurem9. Ita enim  
plerorumque omnium, quæ in Gymnasium hoc extitere, merita po-  
scunt; nostra etiam in quosdam pietas & observantia hoc officii ge-  
nus imperare nobis & injungere videtur. Omnes videlicet curas,  
omnem animi contentionem, pro suò in rem literariam inusitatò  
proptus amore, eò intenderat unicè ILLUSTRISSIMUS quondam  
DOMINUS, DOMINUS HEINRICUS cognomento Posthumus,  
RUTHENUS, Heros Inclutus, & in ævi exemplum natus, trium-  
item Imperatorum Consiliarius eminentissimus, ut in suis excitaret  
ditionibus Illustrem aliquam ac Provinciale Scholam, quippe se-  
minarium omnis honestatis, pietatis ac doctrinæ toti patriæ futuram.  
cum

Cum Nobilissimò Equitum, Amplissimòque Civitatum Ordine i-  
deò instituerat frequenter deliberationes, in Comitiiis præcipuè Pro-  
vincialibus annò hujus seculi secundò: eàdem de re mense Decembri  
triennio post Heidelbergâ, ubi tunc commorabatur, literis eosdem  
denuò monuerat: eadem quoque subsequenti annò diversis in con-  
ventibus per singulas Dynastias seriò inculcaverat; nullique adeò  
pepercerat operæ, industriæ nulli, impensis denique nullis, donec  
voti sui ac scopi compos, prima Gymnasii fundamenta jacerentur.  
Promovet mitissimum Numen clementer pias piorum molitiones,  
nec deserit facilè, qui honori ejus <sup>et factum</sup> ~~velificatur~~. Et factum ideò est,  
ut, quod Illustrissimus Dynasta cœperat in nomine Dei opus, non  
infeliciter succederet. Ipse Serenissimus Saxonix Elector, CHRIS-  
TIANUS SECUNDUS, ut promoveret laudatissimum NOSTRI  
institutum, singulari motus clementiâ, concessit, ut per biennium,  
huc secederet HIERONYMUS MEGISERUS, extraordinarius in  
Academiâ Lipsiensi Professor, & Historiographus Saxonicus, vir  
variis literarum monumentis celeberrimus, Scholæque auspiciâ  
faceret. Quod & factum ab ipso non citra immortalem Nominis  
gloriam est. Et nisi me fallunt omnia, huic debemus Leges saluber-  
rimas pariter ac prudentissimas, Rutheneo præscriptas, certè quâ sty-  
lò, quò se commédât in primis, nervosò ac eleganti concinnatæ sunt.  
De quibus quoniam ita fert occasio, facere non possum, quin com-  
memorem, quàm singulari prorsus Dei bonitate in maximò, cujus  
hodiernum documenta restant, incendiò ante hos ipsos triginta &  
novem annos conservatæ sint. Deflagrabat præter ædes civium,  
quam plurimas templum amplissimum, ipsò Paschatos festò, vaga-  
batur latius ignium vis, & ipsas Musarum ædes ac Collegii involvebat  
tecta. Oblatò incendiò in favillas redigebantur omnia, & infor-  
me rudus fiebant. Verùm ò rem admirandam planè! Vim flam-  
marum tunc effugiebant cum cathedrâ & subselliis quibusdam tabu-  
læ, exque lignæ, quibus Legum nostrarum scita sunt adscripta.  
Quot hîc quisq; non agnoscat curam ac tutelam propitii Numinis?  
Quis non auguretur, quis omen non ducat, fore ita, ut nec facilè de-  
futuri sint docentes pariter ac discentes, & ipsam Legum auctoritatem  
in Scholâ hâc Provinciali, contra omnes improborum machinationes,  
ipsoque Diaboli insulto perennaturam? Nam salvis Legibus, benè ha-  
bebit Gymnasiû, salvò hòc, ex ejus sinu nunquam non prodibunt, qui  
publicæ rei, Ecclesiæque præsent ac proficiunt. Sed è diverticulò in viam.  
Proposueram mihi recensere tanquam per indiculum Doctores Gym-

nasii publicos, ad quos respiciendum hîc unicè est. Initium fiat  
à RECTORIBUS, quos vocant, sive supremis studiorum Modera-  
toribus. Ex quibus primus fuit M. ADAMUS REINHARTUS,  
ex scholâ Cizensi legitimè huc aditus, & cum novis duobus Collegis  
die sextô Maji, qui tunc Ascensionis Dominicæ festum excipiebat,  
habitâ priùs concione Sacrà de rebus Scholasticis, solenni ritu ac  
pompâ insigni, cui Ipse PRÆCELSUS FUNDATOR cum Proceri-  
bus gratiosissimè interfuit, introductus. Auspicatissimô id fidere,  
vel Dei potius. O. M. ineffabili bonitate annô currentis seculi octa-  
vô contigisse, quotus est quisque, qui planè ignorat? Inde potissi-  
mum hæc Spiritus S. officina initium ducit. Obiit vir Optimus ac  
de nobis bene merentissimus dysenteria, cum vix biennium ad gu-  
bernacula novi Gymnasii sedisset. Successit paulo post in defuncti lo-  
cum M. HIPPOLYTUS HUBMEIERUS, P. L. C. ex Pædagogio Gœt-  
tingensium huc vocatus, Vir eximius ac eruditissimus. Qui post-  
quam per decennium quasi sceptrâ Gymnasii magnâ laude tractâisset,  
Coburgum Director Athenæi evocatus, & inde Superintendens  
Heldburgensis constitutus est, ubi & terminum vitæ suæ ultimum,  
eundemq; placidum invenit, stadiô suô non infeliciter confecto.  
Hubmeierum laudatissimum laude non minor, certè indefessâ se-  
dulitate non inferior, secutus est anni ∞ Ioc XXI. initiô M. LEON-  
HARTUS GENSELIUS, Budissinæ antea Scholæ Rector, ex quâ le-  
gitimâ vocatione huc translatus est. Suis partibus strenue defunctus,  
per quatuordecim annos, & quod excurrit, diem obiit supremum,  
mense Aprili annô ∞ Ioc. XXXV. Vir optimus, maximè indu-  
strius, severus etiam, & vel hîc nomine meliori, quàm expertus est,  
fato dignissimus. Eodem annô mense Septembri ex Academiâ Wit-  
tebergensi, ubi Adjunctus Philosophiæ fuerat, huc accessit, clavum-  
q; tenere cœpit M. JOHANNES CHRISTOPHORUS LUDECUS,  
qui ultra biennium hîc non substitit, quippe Francofurtum ad Ode-  
ram Ecclesiæ Symmysta advocatus, annô ∞ Ioc. XXXVII. discessit.  
Fuit Vir doctissimus, nec paucæ apud Nos adhuc vigent lectiones,  
quas ipsius methodo acceptas ferimus. An adhuc mortalium rebus  
interfit, nos ignorare profitemur. Si autem superat, & vitali adhuc  
aurâ vescitur; omnem ipsi prosperitatem, tranquillam imprimis ac  
vegetam precamur senectutem. Quintus in ordine Rectorum fuit  
Vir clarissimus, Orator politus, ac Philosophus præstantissimus, M.  
GOTHOFREDUS LINDEMUTHIUS, qui ex Illustri Mansfeldensi,  
quod Islebiæ est, in Inclutum hoc Rutheneum annô ∞ Ioc  
XXXVIII.

XXXVIII. mense Majo concessit. Cui & per sex annos ( excessit; e-  
 nim annò seculi hujus XLIV. ) non sine singulari quadam ac præci-  
 puâ dexteritatis ac probitatis laude profuit, ut dignissimus planè  
 fuerit diuturniore vitâ. Sed nunc sextò mihi locò (quem primò mal-  
 lem, nisi temporum ordo prohiberet) commemorandus venit, Vir  
 summus, M. JOHANNES SEBASTIANUS MITTERNACHTIUS,  
 Theologus ac Philologus facilè excellentissimus, qui fasces Reçtoral-  
 es Senatoriæ Numburgensis cum Gymnasii nostri ἀγαθῆς τῆς τέχνης  
 annò ∞ Ioc XLVI commutavit. De cujus laudibus mihi tacen-  
 dum puto, cum quia notissimæ sunt, omniumque in ore ac animis  
 versantur, tum quia nullum tam sublime genus verborum reperire li-  
 cet, quod non longè intra ipsius jaceat dignitatem. Hic, si calculum  
 rectè ponimus, diutissimè omnium Gymnasii nostri clavum mode-  
 ratus est. Nec diuturnitati defuit exoptata felicitas, ac benedictio di-  
 vina. Hòc quippe Rectore tam edecumatae doctrinæ, tam excellentis  
 suadae, tam raræ dexteritatis, tanta Gymnasii nostri opinio longè la-  
 teq; vel ad remotiores gentes perlata est, ut maximam partem ipsi  
 suam celebritatem ac incrementa debeat. Μεγάλη χάρις αὐτῷ!  
 Abiit à nobis anno ∞ Ioc. LXVII. mense Majo, maximum sui re-  
 linquens desiderium, & primum quidem ad capeffendam Ecclesiæ  
 Neostadiensis Ephorian, inde verò ad Cizensem, ubi & Celsissimo  
 Duci Saxoniae MAURITIO à Confessionibus est & Concionibus  
 primariis. Quem uti tanquam Parentem observamus ac colimus: ita,  
 ut quàm diutissimè ac felicissimè vivat, Deum ex animò precamur! Et  
 huic deniq; meam, qui hæc scribo, tenuitatem eòdem annò die XXI.  
 Novembris surrogatam esse, cur exponam pluribus, opus non est.  
 Nemo enim hæc ignorat, & omnem περὶ αὐτοῦ λογίαν mea mihi mo-  
 destia interdicit. Hoc unum de me facere non possum, quin profite-  
 ar, nihil videlicet mihi magis curæ esse, nec in votis quicquam sæpius,  
 quàm ut vigeat semper, & intemerata sibi constet ac integra Gym-  
 nasii nostri fama, in diesq; majora capiat incrementa. Ego, quod u-  
 nicum in manu mea est, nulli ideò labori, nulli industriæ parcam.  
 At quia tua res agitur, benignissime Deus, qui solus bonorum caput  
 & fons es, benedictionem & successus laboribus clementer aspirabis!  
 Γένοιτο! Γένοιτο! Sed missis Reçtoribus, ad ΔΕΥΤΕΡΟΔΙΔΑΚΤΑΙΣ,  
 sive CONRECTORES pergimus, qui suâ doctrinâ ac diligenti in-  
 stitutione nostro profuerunt Rutheneo. Et hi illos numero non so-  
 lum adæquant, sed excedunt longè. Juvat eorum, in quantum nobis  
 cognita sunt, audire nomina, Primus igitur ex hac Collegarum clas-

se fuit M. CASPARUS RULINGUS. Qui postquam aliquot annos in laboribus scholasticis egregie desudaverat, vineæ Domini sive Ecclesiæ suam addixit operam, anno ∞ Ibc XIV. Rickartsdorfensis vocatus Pastor, inde Archidiaconus Geranus factus, ac Pastor tandem, Langenbergensis. Statione pariter ac vitâ decessit annô hujus seculi XXXVIII. Hunc in officiô excepit M. NICOLAUS OELSCHLEGELIUS, qui primùm Tertius, deinde Secundus Gymnasii Collega fuit. Non diu hic munere mandatô functus est, quomodo, non attinet dicere, quia in vulgus propè pervulgatum est. Non proletariæ dicitur fuisse eruditionis homo. Abiit anno ∞ Ibc XVI. demum anno XXX. post Curiaë Variscorum in *νοσοδοχεια* mortuus. Subsecutus hunc est M. N. MERCKELIUS, qui tamen & ipse non diu hîc commoratus est. Nam anno Christi ∞ Ibc XIX. Islebiam adiit, Conrectoris munere itidem perfuncturus. Hoc discedente, nequaquam defecit alter, qui docendi onus susciperet humeris. Erat tunc Gymnasii nostri Collega Tertius M. JOH. WOLFIUS, iis instructus doctrinarum dotibus, ut non indignus haberetur, qui Merckelio successor daretur. Suscepit igitur promptâ manu ac mente munus sibi injunctum, & quâ licuit fide industriaq; executus est. Sed nec in hoc officio consenescere aut mori voluit, ideoq; ad munia Ecclesiastica mentem animi direxit. Quô factum est, ut Anno ∞ Ibc XXVII. in Illustrissimâ Aulâ nostrâ Concionator, postea Pastor Dieschizenis constitueretur; Superintendens tandem Ecclesiæ Lobensteinensis & vicinarum factus: ubi æquô planè animô è vitâ, satur ævi, rebus suorum florentibus, exivit Anno ∞ Ibc LVIII. Wolfio successit anno ∞ Ibc XXVIII. JOH. FRIDE. SALTZMANNUS P. L. C. die XXVIII. Januarii, habita oratione de Pœtica, Philosophia omnium antiquissima. Erat enim pro indolis suæ instinctu antiquitatis scrutator diligens, Pœta non humillimi Spiritus, & Critices studiosus. Anno ∞ Ibc XXXV. officiô abdicatus fuit, quibus de causis, cum ignarissimis scio. Neque enim meum est, curiosius scrutari eadem, & recolendum diligenter illud, quod de mortuis nil nisi benè. Post hunc Conrectoratu functus est M. JOH. JUNGHANSIUS, Vir optimus ac diligentissimus, qui tamen vix biennium videtur studiosam pubem docuisse. Nam ∞ Ibc XXXVII. Ecclesiæ Cöstricensis constitutus Pastor est; ubi & cum morte vitam commutavit annô ∞ Ibc XLV. Cui successor datus illicò fuit M. JOH. PFEIFERUS Lobensteinensis, Vir clarissimus, qui non pietate solùm ac solidâ eruditione, sed variis etiam disputationibus ac notitiâ rerum Theologicarum



carum in Lipsiensi & Wittebergenſi Academiiſ non exiguam ſibi no-  
minis famam comparaverat. Atq; hic ipſe non tam Conrector vide-  
tur fuiſſe, ſi munia ac tempus expendamus, quàm Vicarius Rector.  
Rerum ſuarum cum primis ſategit; ut testimoniis præcipuorum Viro-  
rum, qui ipſo Præceptore uſi ſunt, ſtabilitum ire poſſem, niſi pro-  
perandum ad alia foret. Addixit non diu poſt operam ſuam Eccleſiæ,  
cui mentē animūq; à parvō puerō consecraverat. Igitur primū vocatus  
fuit Concionator Aulicus Rutheno Geranus, hinc Paſtor Lan-  
genbergenſis, inde in eandem vocatus aulam, Archidiaconus deniq;  
Eccleſiæ noſtræ, Gymnaſiiq; Inſpector ac Conſiſtorii Aſſeſſor conſti-  
tutus. Poſtquam laudabiliter confecerat vitæ curriculum, operaq; in-  
defeſſā emenſus erat, morbo conſumtus obiit annō ∞ Iſc. LXVII.  
d. XI. Maji. Hinc, quem ſuprà diximus, SALTZMANNUS denuō  
ad officium legitimè vocatus rediit, cum laudatiſſimō LINDEMUTHIO  
ſimul introductus ∞ Iſc. XXXVIII. die XXI. Maji. Obiit  
triennio poſt die XIX. Aprilis, febr̄i malignā. Ipſi hanc laudem  
mortuo impertitur B. LINDEMUTHIUS, ut Collegam doctiſſimum  
& deſideratiſſimum vocet. Factō trium propè annorum interſitiō,  
ſpartam hanc nactus eſt VALENTINUS BERGERUS. Ohrdrufen-  
ſis, ∞ Iſc. XLIV. Quam & ornavit egregiè & diutius, quàm ullus  
Conrectorum. Id quoq; nominis ſibi conciliavit decus, ut digniſ-  
ſimus fuerit habitus, cui faſces Gymnaſii Hallenſis, ubi cum maximā  
laude adhuc vivit, traderentur. Factum id eſſe recordamur ∞ Iſc.  
LIX. Ingratiſſimus forem, & in merita Optimi Viri injurius, niſi ta-  
terer hīc publicè, me non parū eidem debere. Ad omnia enim, quæ  
intra privatos habuit, Collegia ſpontè & abſq; didactrō me admittit,  
& ſingulari benevolentia ac planè paternā, ſi quēquam alium, com-  
plexus eſt. Hæc mea mihi impoſuit pietas, ne reticerem; alii dubio  
procul habebunt alia, quæ in Viro excellentiſſimo laudent. Nam, ut  
ait Cicero, nihil de inſignibus ad laudem viris obſcurè nunciari ſolet.  
Nunc ad reliquos, qui adhuc vivunt, veniendum eſt. Succellit BER-  
GERO eodem anno M. JOH. TÖPFER, Vir piſſimus, doctināq; ac  
dexteritate clariffimus, Amicus meus optimus, & hōc ad Scholæ  
patriæ Numburgenſis gubernacula evocato, ſurrogatus ipſi eſt d.  
XIX Novembris, Anno ∞ Iſc. LX. M. JES. KRÜNERUS, pieta-  
te, indiſtriā ac eruditione Summatibus præcipuè commendatus, mi-  
hi verò *ὀμηλικία*, ſtudiis iisdem & conſcipulatu maximè conjun-  
ctus. Cui ego anno ∞ Iſc. LXII. 6. Kal. Sept. ſuccedere juſſus ſum;  
vices deniq; meas ſupplente M. GEOR. TRINCHUSIO, Ohrdrufen-  
ſe,

16.

ense, ex Academiâ Jenensi huc arcessito 5. Kal. Febr. ∞ Ioc.  
LXVIII. Qui quantâ cum fide, sedulitate, operâ, labore sua exe-  
quatur munia, nec discentium ignorat ulli, & mecum fatentur boni.  
Deus hunc mihi Achatem diu sospitem conservet, & omni maatum  
prosperitate! Vigeat inter nos & reliquos Collegas perpetuus animo-  
rum consensus, & conspiratio amica! Animus erat de reliquis etiam,  
qui intermediis, ac inferioribus præfecti classibus publicè docuerunt,  
tractare. Sed nec permittit plura chartæ penuria, & fiet id proximâ  
occasione. Igitur nunc ad VALEDICTURUM, qui hanc nobis pa-  
ginam fecit, stylum convertamus. Patrem hic habuit VIRUM CLA-  
RISSIMUM, CASPARUM FRANKIUM, Præceptorem meum fide-  
lissimum, & Collegam postea conjunctissimum, de re scholasticâ per  
triginta ac tres annos laudatissimè meritum. Quod cum perpende-  
rem mecum, facere non potui, quin impetum caperem (utinam fe-  
licem fatis!) in laudes Doctorem Ruthenei nostri publicorum, pau-  
lisper digrediendi. Ab isto Parente suo ad omnem pietatis ac studio-  
rum cultum severâ, quâ solebat, lege educatus, sic semper se gessit,  
ut quod de eò conqueramur, non habeamus Præceptores. Studiis eâ  
invigilavit solertiâ, ut per Dei gratiam eos fecerit profectus, qui acro-  
amasin Academicis non indigni æstimentur. Quoties enim in ora-  
toriâ palæstrâ exercitatus est? quoties lingvarum specimina Cardina-  
lium dedit? Quicquid artium ac disciplinarum sive publicè docuimus,  
sive privatim; id avidâ hausit aure & capaci complexus pectore est.  
Non ita pridem in arenam descendit disputatoriam, & in confessu  
eruditorum suas ita tuitus theses est, ut non parvam inde adeptus  
laudem videatur. Cras, Deo volente, antè, quàm vale, quibus debe-  
re se non ignorat, dicat, orationem habebit *παράδοξον* in vituperium  
*conversationis*. Nos abituro gratiam Dei perpetuam, omnemq; adeò  
prosperitatem planè ex animo precamur, & ut vestigia nunquam  
laudata satis BEATI PARENTIS feliciter sequatur, seriò optamus.  
Vos autè, PLURIMUM VENERANDOS DNN. INSPECTORES,  
Vos item, VIROS OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMOS,  
etiam atq; etiam rogamus, ut operam Dicturo benevolam navare, &  
ostendere adeò velitis, quantò sive favore, sive pietate in FRANCKII  
B. M. sitis. Quicquid enim benevolentia Filio exhibetis, id redunda-  
re in OPTIMUM PARENTEM censei queat. Et nos id dabimus o-  
peram, ne cribro hausisse tantum beneficium improbè videamur.  
P.P. Geræ d. X. Kal. Maji A.O.R. ∞ Ioc. LXXIII.

Pom 46 916, 914

ULB Halle

3

003 023 32X





*H. 115, 17<sup>o</sup> 18*

DISS  
PRAE  
RUTH

RECTO

PLU  
DNI  
CTORU  
OMNESQ  
ORD  
M. JO. FRI  
STRIS

BENEV  
CASP. F

OBSER

Typis G E O

Y b  
916

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

BIBLIOTHECA  
SACRA

Christianus Fridericus  
1674

